

Johann Georg Walch


De Theologo Homine Dei : Commentatio

lenae: Litteris Schillianis, MDCCLVIII

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn87221219X>

Druck Freier  Zugang





415


A. B.
48. 6. 8.

28.


Ja 1092 (28)




2. 25.
3. 4.
1. 46.
23.
5.
22.
6.
21.
7. 2
8.
19.
9
10.
17
11.
12.
14.



2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.
20.
21.
22.






DE
THEOLOGO
HOMINE DEI

COMMENTATIO

IO. GEORGII WALCHII, D.



IENAE,
LITTERIS SCHILLIANIS
MDCCLVIII.

25.

24.

26.

23.

27.

22.

21.

20.

19.

18.

17.

16.

15.

14.


DE
THEOLOGO
HOMINE DEI

COMMENSATIO

IO. GEORGI WALCHII, D.



LE M. A. B.
LITTERIS COMMUNICANTIS
R. OSTIAE



EGREGIVM sane omnique attentione
ac meditatione dignissimum est apo-
stoli Paulli oraculum, quo 2. *Timoth.*
III, 15. seqq. testatur, Timotheum
nosse sacras litteras ἀπὸ βεβήσας, ab infantia; siue ex quo
infans maxime tener esse desierat, ac postquam de scri-
pturis diuinis pronuntiauerat, istas σοφίαι εἰς σωτηρίαν,
nos sapientes reddere ad salutem consequendam atque vtilis
esse ad doctrinam, ad reprehensionem, ad correctionem, ad iu-
stitiæ disciplinam, subiungit: ἵνα ἀξιότιος ἦ ὁ τῷ Θεῷ ἀνθρώ-
πος, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐζητησιμὸς, ut perfectus sit ho-
mo dei, ad omne recte factum bene comparatus. Verba hæc
sententiis suis esse grauia, ea ipsa ostendunt idem-
que aliæ rationes confirmant. Epistolam, in qua illa

A 2

haben-

25.

24.

26.

23.

27.

22.

21.

20.

19.

17.

16.

15.

habentur, legatus christi scripsit, vt videtur, in vinculis posterioribus, quum mortem sibi imminere putaret, atque incertus, quando mortalitas eius finienda esset, saltem speraret, se Timotheum, vitæ ac muneris superstitem, relicturum esse.* Ad quem litteræ hæ exaratae sunt, Timotheus est, Paulli comes in itineribus apostolicis sociusque in adnuntiando euangelio, rogatus ab isto, vt per tempus quoddam Ephesi permaneret ibique absentis Paulli partes, tamquam vicarius, susciperet.** Istum apostolus, antequam e vita emigraret, in dicta epistola ad id incitare voluit, vt in obeundo munere

*sententiam hanc de tempore, quo posterior Paulli epistola ad Timotheum scripta est, amplectuntur atque argumentis non contemnendis probant: IACOB. VSSERIVS *annalib. Paulinis*, qui eiusdem *operibus posthumis* præmissi sunt, p. 25. SAM. BASNAGIVS *annalib. politic. eccles. tom. I. p. 726.* IO. MILLIVS *in prolegomenis noui testamenti §. CXXV. p. 15.* SAL. VAN TIL *oper. analyric. tom. II. p. 660.* IO. ALBERT. FABRICIVS *bibliothec. græc. libr. IV. cap. 5. p. 157.* IO. IACOB. HOTTINGERVS *pentad. dissertationum biblico-chronologicarum p. 350.* Alii, vt BARONIVS, LIGHTFOOTVS, HAMMONDVVS, WITSIVS,

CAVEVS referunt epistolam hanc ad priora Paulli vincula; leuiiores autem rationes, cur ita sentiant, attulisse videntur.

**plura de Timotheo habentur in *actis sanctorum tom. II. ianuar. XXIV. p. 562. seqq.* HERMANNI WITSII *miscellan. sacr. tom. II. p. 557.* SEBAST. NANI TILLEMONTII *memoires pour seruir a l' histoir. ecclesiastique tom. II. part. I. p. 257.* GVIL. CAVEI *antiquitat. patrum et ecclesiast. part. I. p. 139.* IO. ALBERT. FABRICII *salutar. luce euangel. cap. V. p. 257.* *biblioth. græc. volum. IX. p. 150. ac codic. apocryph. noui testamenti part. I. p. 812.*

nerē suo se constantem, diligentem, fidelem fortemque præberet; hanc autem in rem ei imprimis perpetuum studium, scripturas sanctiores perscrutandi: easdem, veluti vnicam fidei vitæque normam, sequendi atque ex fonte illarum veram sapientiam hauriendi, commendauit. Fieri hoc debet, addit Paullus, vt quis, tamquam *ἀνθρώπος θεῶν*, *perfectus sit, ad omne bonum opus comparatus.*

Loquitur de *homine dei*. Si dicendi rationem hanc generatim fumere illique latiore significandi vim tribuere velimus, quisque, qui in numero est mortalium, per *hominem dei* intelligi potest. Debet enim ille et originem; et conseruationem suam deo: potentia eius, sapientia ac benignitati, hancque ob causam iure habetur ac vocatur *homo dei*, id quod tam apertum ac perspicuum est, vt et scriptores, verorum facrorum expertes, istud professi sint. Paullus effatum poetarum profanorum Atheniensibus commendauit: τὸ γὰρ καὶ γένος ἐσμὲν, *ipsius enim, dei videlicet, et genus sumus, actor.* XVII, 28. non folius ARATI* Cilicis, popularis sui, quod plerique existimant; sed etiam, quemadmodum probabile est, CLEANTHIS, qui Athe-

* *phenomen. v. 5.*

nis vixit atque itidem dixit: ἐκ σῶ γὰρ γένος ἐσμέν,* immo fortasse aliorum. Non vnus enim poetæ Paullus mentionem fecit; sed plurium, atque expresse adiecit: ὡς καὶ τινες τῶν κατ' ὑμᾶς ποιητῶν ἐρήμασι. Similia dicta in aliorum auctorum superstitionis monumentis conseruata sunt. CICERO:** *quumque alia, inquit, quibus coherent homines, e mortali genere sumserint, quæ fragilia essent et caduca; animum tamen esse ingeneratum a deo, ex quo vere vel agnatio nobis cum cælestibus; vel genus; vel stirps adpellari potest.* Apud M. ANTONINVM*** in homine est: τὸ τῷ θεῷ ὁμογενές.* Ac quis dubitaret, omnes mortales vocari posse *homines dei*, quum deus cunctorum pater est ac Malachias diferte pronuntiat: *nonne patrem vnum habemus nos omnes? nonne nos deus vnus creauit?* II, IO. pater ille, qui omnibus patribus in his terris longe antecellit: a quo plura et maiora beneficia accipimus, siue ad ortum; siue ad progressum vitæ humanæ: siue ad animam

* in *hymno ad iouem* v. 4. cuius latinam metaphrasin poeticam IACOB. DYPORTVS dedit.

** *libr. I. de legibus cap. 8.*

*** *libr. V. de rebus suis §. 21.*

* videantur: THOM. GATAKERVVS *adnotationib. ad Antonini dictum locum*

p. 160. et ad *libr. XII. §. 1. p. 346.*
RADVLPH. CVDWORTHVS *systemat. intellectual. huius vniuersi* p. 415. seqq.
IACOB. ELSNERVS *obseruationibus sacr. rom. I. p. 450.* IO. CHRISTOPH. WOLFIVS *cur. philol. et critic. in act. apost. XVII, 28. p. 1267.*

animam; siue ad corpus statumque externum respicere velimus. Perspexit hæc IOANNES DAMASCENVS causamque habuit, cur scriberet: * κυριώτερον ὁ θεὸς ἡμῶν ἐστὶ πατὴρ, ὁ ἐκ μὴ ὄντων εἰς τὸ εἶναι παραγαγὼν, ἢ ὁ γεννήσαντες, οἱ ἐξ αὐτῶ καὶ τὸ εἶναι καὶ τὸ γενεῶν εἰληφότες, *deus pater noster verius est, qui ex nihilo nos produxerit; quam qui nos genuerunt, utpote qui tum ut sint; tum ut gignerent, ipsius munere sunt consequuti.* Consentiant cum his, quæ BASILIUS magnus ** atque alii habent: quæ CHRYSOSTOMVS *** dicit: ὁ θεὸς ἐκ ἐστὶ μερικὸς θεός, ἀλλὰ πάντων πατὴρ, *deus non est particularis deus; sed pater omnium.**

Late si *hominem dei* accipiamus, is quoque de quo-uis vero christiano, qui ad deum conuersus: fide in christum præditus studioque vitæ sanctioris inflammatus est, quo minus exponatur, nihil impedit: immo homo eiusmodi dignitatem atque honorem *hominis dei* singulari iure tuetur. Is enim *homo dei* est cum per *regenerationem*, quippe cui non solum naturalis; sed spiri-
tualis

* *libr. I. de fide orthodox. cap. 12. nos, tom. IV. comment. in nou. test. p. 97. tom. I. oper. p. 146. edit. LEQVIEN.*

** *libr. II. aduersus Eunomium tom. I. oper. p. 259. edition. GARNIERI.*

*** *homil. VIII. in epistol. ad Roma- nos, tom. IV. comment. in nou. test. p. 97. * CONF. IO. CASPAR. SVICERVM thesaur. ecclesiast. tom. II, p. 629. et HERMANN. WITSIVM exercitation. in orationem dominicam p. 107.*

tualis quoque vita a deo tradita fuit, *psalm. cx, 3. Ioan. 1, 13. 1. Petr. 1, 3. Iacob. 1, 18.* tum per adoptionem, quando deus illis, qui iterum ad imaginem eius sunt nati ac christo fidem connubii dederunt, iura ac priuilegia filiorum, atque ipsam hereditatem cælestis regni sanctissimo testamento addicit. Hæc est adoptio, quam sacrae litteræ sæpe memorant, *Rom. viii, 23. Ephes. 1, 5. Gal. 1v, 5.* quæ parit ἐξοσίαν, τέκνα θεῶ γενέσθαι, *Ioan. 1, 12.* per quam regeniti piique homines filii filiaque et domestici dei, *2 Corinth. vi, 18. Ephes. 11, 19.* adpellantur, ac quum cognationem cum christo habent, illius fratres sunt ac sorores, *Matth. xii, 49. cantic. v, 1. 2.* Dicendi igitur omnino sunt *homines dei* hæcque etiam causa est, cur nonnulli inter antiquiores ecclesiæ doctores *hominem dei*, de quo Paullus differit, de quouis pio homine interpretati sint. THEODORETUS * ad illustranda verba apostoli: σὺ δὲ, ὦ ἄνθρωπε τῷ θεῷ, ταῦτα φεῦγε, *1 Timoth. vi, 11.* hæc adfert: ἄνθρωπε τῷ θεῷ μέγας ὁ ἔπαινος. ἔτις ἐκαλεῖτο καὶ Ἡλίας ὁ μέγας ἔτις καὶ πολλοὶ τῶν προφητῶν ἰωνομάσθησαν. εἷς ὡς τῶν ἄλλων ἀνθρώπων εἶν ὄντων θεῷ πάντες γὰρ θεῷ ποιήματα· ἀλλ' οἱ τῆς ἀρχαίης τῆς δημιουργίας χαρακτῆρας φυλάξαντες, ἀληθῶς καλεῖνται ἄνθρωποι τῷ θεῷ,

* commentar. in epistolam 1. ad Timotheum, tom. 111. operum p. 487.

θεῶν, homo dei. *Magna laus. Ita adpellatus est Elias ille magnus: ita etiam multi ex prophetis nominati sunt. Non quod dei homines alii non sint, omnes enim sunt dei creaturae; sed qui primos creationis characteres seruarunt, vere homines dei vocantur.* Adiungo CHRYSOSTOMVM, cuius verba sunt: * ἀνθρώποι τῶ θεῶ μέγα ἀξίωμα πάντες μὲν γὰρ ἄνθρωποι τῶ θεῶ, ἀλλὰ κυρίως οἱ δίκαιοι, ἔ κατὰ τὸν τῆς δημιουργίας λόγον μόνον, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὸν τῆς οικειώσεως, homo dei. *Magna laus ac dignitas. Omnes sunt homines dei; sed proprie iusti, non solum creationis ratione; verum etiam proprietatis.*

Omnia hæc, iam a me de hominibus dei, generatim consideratis, enarrata, quamuis sint vera satisque probata; attamen si speciatim mentem Paulli attendimus ac cogitamus: quemnam ille per *hominem dei* indicare voluerit? illum neque mortalem; neque pium quemuis; sed doctorem, siue iste in ecclesia; siue in schola alios erudiat; aut theologum esse, ubi adfirmamus, non caremus argumentis, quæ ad sententiam hanc confirmandam omnino valent. Patet hoc ex coniunctione ac scopo eorum, quæ Paullus ad Timotheum scripsit. Antea meminerat non solum hæreticorum Hymenæi et Phileti, qui a ve-

B

ritate

* homil. xvii. in 1. epist. ad Timoth. - tom. vi. comment. in nou. test. p. 524.

ritate aberrauerint, dicentes, *resurrectionem iam factam fuisse*, ac nonnullorum fidem euerterint, II, 18. sed etiam hominum, qui prauis cupiditatibus seruiant ac veræ doctrinæ resistent, III, 1. seqq. deque tristissimo ecclesiæ statu fuerat vaticinatus. In peruersitate hac atque imminente calamitate vt apostolus rebus christianis consuleret, de officio Timotheum admonuit ac hortatus est, vt in iis perseueraret, quæ didicerit: scripturas sacras diligenter pertractaret, illasque vnice sequeretur, siue ab ipso docendi; siue refutandi; siue commonefaciendi; siue corrigendi munus obeundum esset, quum ad omnes has partes monimenta, diuinitus inspirata, vtilia sint ac perfecte sufficiant. Scripsit hæc Paullus ad Timotheum, tamquam ministrum ecclesiæ, ac quando statim adiecit: *vt perfectus sit homo dei*, hæc vt de doctore ecclesiæ intelligerentur, voluit. Equidem scriptura cunctos fideles ad omne bonum opus vitæ christianæ aptos reddit, vbi diuina gratia adiuti, illam diligenter atque attente perscrutantur; sed quæ eius munera sunt communia, ea Paullus speciatim Timotheo atque omnibus doctoribus ante oculos ponit atque eum in finem laudat, vt cogitent, se per scripturam fieri homines dei, ad omne bene factum comparatos. Accedit ad hoc, eum-

eumdem apostolum Timotheum antea nomine *hominis dei* expresse compellasse ac dixisse: *σὺ δὲ, ὁ ἀνδρωπε τῆ θεῶ, ταῦτα φεῦγε, at tu, homo dei, hæc fuge, 2 Timoth. VI, II.* auaritiam nimirum, radicem omnium malorum, cuius auidi quidam a fide aberrarint atque in multos dolores se induxerint. Constat præterea, tempore prioris foederis eos, qui vaticinandi facultate instructi erant, *viros dei* vocatos esse. Ita **איש אללה** *vir dei* adpellatus est Moses, *deuteron. xxxiii, 1. Ios. xiv, 6. Elias, I reg. xvii, 18. 24. 2 reg. i, 9. 12. Elifæus, 2 reg. iv, 40.* ita et aliis nomen hoc datum fuisse, videmus ex *I Samuel. ii, 27. ix, 7. I reg. xii, 22. xiii, 1. 4. 2 chronic. viii, 14. xi, 2. Ierem. xxxv, 4.* quæ dicendi formula coniunctam sibi habet singularem significandi vim. Quemadmodum enim vox **איש** separatim vsurpatur de homine forti, auctoritate prædito; ita **אדם** homo est plebeius et vilis conditionis, ac quando illi casus gignendi **איש אללה** tribuitur, auget hic denotandi virtutem atque indicatur ille, cui a deo munus adsignatum est, ac dona ad illud recte exsequendum data sunt. Illustre rei huius exemplum habemus *iudic. xiii, 6. 8.* vbi angelus increatus, filius dei, quum ille mulieri Maonachi ac matri Simfonis adparuit, diserte **איש האלהים** dicitur.

citur. Morem hunc loquendi ebræorum scriptores noui foederis imitati sunt, ac quem illi vocarunt *virum dei*, hunc per *hominem dei* expresserunt, vti perspicimus ex verbis Petri: ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι ἐλάλησαν οἱ ἅγιοι θεοῦ ἄνθρωποι, *sancti spiritus instinctu loquuti sunt sancti homines dei*, 2 *epist.* 1, 21. quibus sermo est de prophetis hique quum in codice ebræo nomen *virorum dei* habent, ab apostolo *homines dei* adpellantur. De causa tamen si quæras, cur pro voce ebraica שׂי אֱדָבָרֵי אֱלֹהִים adhibuerint nomen ἄνθρωπος, non ἀνὴρ, scias, eos sequutos esse septuaginta interpretes, quippe qui אֱלֹהִים שׂי אֱדָבָרֵי græce reddiderunt ἄνθρωπος θεοῦ. Ad rem, vberius explanandam confirmandamque, adiungo testimonia antiquitatis ecclesiasticæ, cuius monimenta itidem monstrant, viros, qui rebus sacris præfuerunt, *homines dei* vocatos fuisse. Vnicum sufficiat exemplum. SOCRATES* Theodorum, cui opus suum *historiæ ecclesiasticæ* inscripsit, ita nuncupat: ὁ ἱερὲς τῶ θεοῦ ἄνθρωπε, Θεόδωρε, *o sancte dei homo, Theodore*, ac quamuis haud exploratum cognitumque sit, quis Theodorus ille fuerit; credibile tamen est, existisse virum sacrae dignitatis. Rationibus his adducti, multi *hominem dei*, a Paulo designatum, de doctore christiano

* *libr.* 11. *cap.* 1. ac *libr.* VI. *proem.* *histor. eccles.* p. 80. 298.

stiano ac ministro ecclesiæ merito explicant, ex quorum numero commemorasse sufficiat: IO. WINCKELMANNVM, * FRIDERICVM BALDVINVM, ** IO. GERHARDVM, *** CLAVDIVM ESPENCAEVVM, * GVIL. ESTIVM, ** IO. DRVSIVM, *** HVGON. GROTIVM, * SALOM. GLASSIVM, ** MART. GEIERVM, *** IAC. GVSSETIVM, * IO. CHRISTOPH. WOLFIVM. **

Quod si interpretationem hanc, vti par est, sequimur, Paullus expressam in *homine dei* imaginem veri theologi nobis exhibet, talis theologi, qualis vt sit, deus vult, ac quamuis duabus tantum vocibus vtatur; illæ tamen ampliorem sententiam habent ac, si ad rem ipsam animum aduertimus, plures præ se ferunt notio-

B 3

nes.

* tom. VI. *disputation. theolog. Gieffensf.* p. 15.

** *commentar. in epistolas Paulli* p. 1439.

*** *adnotationib. ad posteriorem Paulli ad Timotheum epistolam.* p. 69.

* *commentar. in 11. epistolam Paulli ad Timotheum,* p. 403. eiusdem operum; qui tamen putat, nomine *hominis dei* et omnem christianum comprehendendi posse.

** *commentar. in Paulli et aliorum apostolorum epistol.* p. 849.

*** *responson. ad Serarii mineral*

cap. 2. quæ non solum separatim prodit Franeck, MDCVI. 8. sed etiam translata est in syntagma scriptorum de ritibus iudeorum sacris ibique locum obtinuit part. 11. p. 181.

* *adnotationib. in epistolam 11. ad Timotheum, tom. 111. oper. theologior.* p. 992.

** *philolog. sacr.* p. 653.

*** *commentar. in psalmos Davidis, psalm. xc, 1. p. 1564.*

* *commentar. linguæ ebraicæ* p. 64

** *cur. philolog. et critic. in 11 epistol. ad Timotheum* p. 535.

25.

24.

26.

23.

27.

22.

21.

2

19.

17.

16.

15.

nes. Verus theologus est homo dei: 1) in *ortu* suo, non naturali, quem cum omnibus mortalibus communem habet; sed spirituali, quum fuerit natus ἐκ τῆς Θεῆς, I Ioann. III, 9. ἀνωθεν, ἐκ τῆς πνεύματος, Ioann. III, 3. 5. 6. ac in regeneratione hac per fidem in christum, in mente eius diuinitus productam, ex statu mortis spiritualis in statum vitæ spiritualis translatus. Viuit; non ipse tamen, non propriis viribus; sed viuit in eo christus, Galat. II, 20. ita autem est ἀνθρωπος non ψυχικός, sed πνευματικός, I Cor. II, 14. 15. non παλαιός sed καινός, Ephes. IV, 22. 24. Qui laudem atque existimationem veri theologi iure tueri vult, is vt talis sit homo dei, qualis est iterum natus, necesse esse, quis negaret? Quando enim quis permanet in statu naturali, sine fide, sine amore, sine virtute ac per consequentiam sine gratia dei, non fieri potest, vt ille ad scientiam rerum diuinarum, theologice talem, perueniat, quum ista non solum intellectus; sed voluntatis quoque emendationem requirit. Regnat in mente eius peccatum ac per hoc seruit prauis cupiditatibus: sibi soli addictus est atque omnes cogitationes, curas, consilia actionesque ad propria commoda refert, ab iis, quæ ad dei gloriam ac veram aliorum salutem atque vtilitatem spectant, alienus,

nus. Theologus sane, ad deum haud reductus, in illis locum tenet, de quibus apostolus pronuntiat: τὰ ἑαυτῶν ζητῶσιν, ἢ τὰ τῆ χειρὸς ἰησοῦ, suae rei student; non iesu christi, *Philipp. II, 21.* ac quamuis fit in honore eruditionis humanae: magnam acquisuerit sibi auctoritatem laudemque ex operibus, quae virtutum speciem praese habent; ex eiusdem tamen apostoli iudicio effatoque: *carnis adfectio inimicitiae sunt aduersus deum, Rom. VIII, 7.* non homo; sed hostis dei est. Eam ob rem theologiam, accurate sumtam, non opus esse naturae; sed gratiae idque a spiritu sancto effici; nec solum intelligendi; verum etiam volendi emendatam facultatem requirere, ecclesiae nostrae doctores recte tradunt. IO. GERHARDVS * scribit: *theologia, habitualiter et concretive considerata, est habitus θεόσδοτος, per verbum a spiritu sancto homini collatus, quo non solum in diuinorum mysteriorum cognitione per mentis illuminationem instruitur, ut quae intelligit, in adfectum cordis et exsequutionem salutariter traducat; sed etiam aptus et expeditus redditur, de diuinis illisysteriis ac via salutis alios informandi ac celestem veritatem a corruptelis contradicentibus vindicandi, ut homines, fide vera et bonis operibus rutilantes, ad regnum caelorum perducantur.*

IO.

* *proem. exegef. §. XXXI, p. 7.*

IO. CONR. DANNHAVERVS: * *theologia, inquit, nostras est habitus, diuinitus datus, in conscientia pura ac animo deuoto, qui hominem summe miserum efficaci doctrina ad salutem vitamque æternam reducit*; KILIANVS RYDRAFFIUS ** *autem dicit: si vera est theologia et salutaris, subiectum eius est homo renatus atque fidelis, prout theologus verus non est, nisi sit fidelis. Sin falsa, in infidelem quoque et iniustum cadit*; item: *theologia proprie et accurate sumta, acroamatica, non potest esse absque fide; fides tamen potest esse absque theologia illa, accurate dicta. Eodem similibus modo et alii naturam veræ theologiæ explicarunt ac significarunt, illam non inesse in homine, haud renato fideique, qua christi merita amplectimur, experte. ****

Theo-

* *bodolph. christian. p. 6.*** *protheor. theolog. p. 5. 20. sq.**** *legantur: IO. GERHARDVS method. studii rheolog. part. I. cap. 2. p. 8. AVG. HERMANN. FRANCKIUS method. studii rheolog. cap. I. §. 9. p. 23. cap. v. §. 2. p. 268. atque idea studiosi rheolog. p. 31. sq. IO. FRANC. BVDDEVS isagoge ad theol. vniuers. libr. I. cap. 2. §. 13. p. 48. SALOM. DEYLINGIUS institutionib. prudentiæ pastoral. p. 82. inprimis PHILIPP. IACOB. SPENERVS in egregio li.*

bro, cuius inscriptio est: *die allgemeine gottesgelahrheit aller gläubigen christen vnd rechtschaffenen theologen. Ex ordine reformatorum addo: ANDREAM HYPERIVM de recte formando theologia studio libr. IV. cap. 6. p. 704. 709. curiæ autem romanæ ad dictorum: LVDOV. ELL. DVFIN in metodo studii rheologici, recte instituendi cap. v. p. 91. cuius verba sunt: prima regula, quam in educatione puerorum, studio rheologico destinatum, præscribere sibi debent, hæc est,*

Theologus, vere sic dictus, sistit se hominem dei 11) in *cognitione rerum diuinarum*, vtpote qui ea a deo instructus fuit. Ita enim ista comparata est, vt non tantum vera ac certa sit; sed viua quoque atque efficax, hancque ob causam cognitionis nostræ genus constituit, quod *scientia* adpellatur, scriptorum sacrorum; non philosophorum, sensu accepta. Nititur illa ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως, I *Corinth.* II, 4. ac per auctoritatem vimque scripturæ diuinæ tantam habet dignitatem, vt omni scientiæ, humanarum disciplinarum propriæ, longe antecellat.* Nemo eam adipisci potest, nisi regeneritus homo ac conuersus, id quod res ipsa satis monstrat. Quando enim quis iis adsentiri debet, quæ deus in codice suo de fide vitæque sempiternæ salutis causâ patefecit, necesse est, vt per testimonium spiritus sancti internum de origine diuina scripturæ sacræ certus reddatur. Testimonium hoc, formaliter consideratum, ad intellectum quidem pertinet; non prius autem

vt pectora eorum ad bonum emolliantur: prius christianos; quam theologos sese mores formentur verique christiani efficiantur. Hoc est fundamentum, cui theologicum ædificium superstruendum est. Ita nempe institui debent, vt bonos exhibeant.

* vide GEORGII MYLII disputat. de methodo τῆς θεολογικῆς ἀποδείξεως.

C

tem re ipsa fieri potest, quam voluntas emendata atque ad id adducta est, vt isti non aduerfetur. Ac quis per-
 fuadeat sibi, hominem, solis naturæ viribus instructum,
 ita valere, vt comparet sibi veritatum cælestium cogni-
 tionem, quæ vim suam in mente atque in ipsa vita pro-
 dat: pias adfectiones efficiat: animum ad ea facienda
 atque euitanda incitet, quæ leges dei iubent ac prohi-
 bent? Id ipsum effata diuina luculenter comprobant.
 In quibusdam eorum expressè dicitur, homines impios
 vera rerum sacrarum cognitione carere, quo Paulli ver-
 ba spectant: ψυχικός άνθρωπος, *animalis homo*; siue natu-
 ralis, nondum ad deum conuersus, cui apóstolus πνευ-
 ματικὸν ἄνθρωπον opponit, & δέχεται, *non recipit*, cum ad-
 sensu nimirum, τὰ τῆ πνεύματος τῆ θεῶς μωρία γὰρ αὐτῶ
 ἐστὶ καὶ ἔδύναται γινῶναι, *quæ sunt diuini spiritus, quippe quæ
 sunt ei stultitia: itaque non potest ea cognoscere*, ea quidem
 ratione, qua cognosci debeant, I Cor. II, 14.* Ioannes
 scribit: *qui eum, iesum christum eumque παρακλήτον, sibi
 notum esse, dicit et tamen eius præceptis non paret, mendax
 est; nec est in eo veritas*, I epistol. II, 4. Seruator ipse hanc
 fen-

* ita verba hæc præter alios expli-
 cant: SEBASTIAN. SCHMIDTIVS *QVNSTEDTIVS Systemat. theolog.*
part. I. p. 1090. 10. MVSÆVS intro-
colleg. biblic. poster. p. 166. 10. ANDR. duction, in theologiam p. 510.

sententiam pronuntiat: *spiritum veritatis mundus*, adeoque omnes, qui mundo addicti sunt: regeniti verique christiani haud sunt, *accipere nequit, quod eum neque videt; neque cognoscit*, Ioann. XIV, 17. In aliis dictis vera rerum diuinarum cognitio solis regenitis ac piis tribuitur, *psalm. xxv, 14. Hos. II, 20 Ioann. VIII, 31. 32. 2 Corintb. III, 15. 16* hique sunt *illuminati*, si vocis huius notionem remque ipsam ex stilo scripturæ sacræ æstimare simulque auctoritatem antiquitatis ecclesiasticæ adiungere velimus. Apud veteres enim christi sectatores ii, qui in numero fidelium ac perfectorum christianorum erant, *Φωτισμένοι, illuminati* vocati sunt.* AVGVSTINVS,** *errat, inquit, quisquis putat, veritatem se posse cognoscere, quum adhuc nequiter viuat. Nequitia autem est, mundum istum diligere et ea, quæ nascuntur et transeunt, pro magno habere, et ea concupiscere et pro iis laborare, vt acquirantur, et lætari, quum abundauerint, et timere, ne pereant, et contristari, quum pereant. Talis vita non potest puram illam et sinceram et incommutabilem videre veritatem et inbærere illi et in æternum iam non moueri.* Id quoque theo-

C 2

logos

* conf. IOSEPH. BINGHAMI *origines; sive antiquitat. ecclesiastic. vol. I. p. 36. et IO. CASE. SVICERI thesaur. eccles. tom. II. p. 1489.*

** de agone christiano cap. XIII. tom. VI. oper. p. 183. edition. benedictina. Antwerp. adde ISIDORVM *Pelusiota* tam libr. III. epist. 39. p. 272.

logos nostræ ecclesiæ, qui in magna auctoritate ac laude purioris doctrinæ atque eruditionis sunt, professos fuisse, monimenta eorum testantur. IO. GERHARDVS * mentem suam ita declarauit: *qui in tenebris peccatorum ambulat easque amat, non potest ad lucem spiritualis cognitionis adspirare, ac quibusdam interpositis: ergo vera et salutaris illuminatio non potest habere locum in illis, qui letbar-go animæ oppressi mortuis operibus peccatorum delectantur.* IVSTVS FEVRBORNIVS: ** docemus, inquit, quod quidem homines irregenti queant absque speciali spiritus sancti gratia notitiam sacræ scripturæ externam, historicam et litteralem adipisci; *at non internam et spiritualem, nempe saluificam γνώσις et fiduciam:* ABR. CALOVIUS scribit: *** *spiritus sancti gratia et illuminatio quotidianis impetranda est precibus, quas impii neque faciunt; neque eo modo facere possunt, vt istæ a deo audiantur.* MARTINVS GEIERVS, * quando verba: *deum metuentibus patefit eius arcanum atque fœdus, psalm. xxv, 14.* enarrat, hunc in modum commentatur: *deus familiariter cum suis agit: secreta sua, in verbo sancto reuelata, ipsis, tamquam amicis suis,*

* *method. studii theolog. part. 1. cap. 2. p. 19.* *dii theolog. p. 43. adde eiusdem considerationem Arminianismi p. 37.*

** *in anti-Ostoro p. 17.*

* *commentar. in psalmos p. 361.*

*** *padia theologic. de methodo stu-*

suis, communicat per internam spiritus sancti illuminationem; ubi contra impii a vera dei voluntatisque eius notitia longissime absunt. Reliquos consulto tacitus prætereo.* Cognitiono hæc, non logice tantum; verum etiam metaphysice vera; siue scientia theologi, hominis dei, quum mentem, a spiritu sancto correctam et emendatam, sibi coniunctam habet, salutaris illa est seque, veluti comitem, ad eam *sapientia* adiungit, non humana; sed diuina, ἡ ἀνωθεν σοφία, *superne oriens sapientia*, vti a Iacobo III, 17. vocatur, quæ precibus maxime a deo impetratur, *Iacob. 1, 5.* ac quamuis præcipuam sedem in intellectu illuminato habeat; voluntatis tamen quoque sanctitatem requirit. Est enim ea virtus, qua homo regeneritus in rebus spiritualibus et ad salutem hominum æternam spectantibus bona a malis ita discernere potest, vt illa amplectatur; hæc autem fugiat.

C 3

Con-

* consulantur: PHILIPP. IACOB. SPENERI laudatus liber: *die allgemeine gorzesgearbeit*: IO. GVIL. ZIEROLDI *unterschied der wahren vnd falschen theologie*: IO. ANASTASII FREYLINGSHAVSENI *entdeckung der falschen theologie*: IOACH. LANGII *antibarbarus parr.* I. vbi p. 63, sqq.

plura nostrorum theologorum testimonia recensentur, vna cum dissertationibus: IO. OLEARII de *illuminatione diuina*: IO. MICHAEL. LANGII de *illuminatione fidelium*: IOACH. IVST. BREITHAVPTI de *vera dei rerumque sacrarum notitia.*

25.

24.

26.

23.

21.

22.

21.

2

19

17.

16.

15.

Conspicimus theologum, hominem dei III) in *vo-*
catione eius. Est homo dei, quia a deo vocatus fuit ad
munus. Iuste ac legitime vbi isto fungi debeat, id mi-
nus ipse sibi tradere potest; sed necesse est, vt ex vo-
luntate dei officium suscipiat, siue in ecclesia; siue scho-
la; præsertim in academia doctorem publicum se gere-
re velit. Quum generatim de munere sacro loquor,
spectat huc apostoli oraculum: *neque sibi quisquam hono-*
rem arrogat; nisi qui vocatur a deo, Ebr. v, 4. idque etiam
res ipsa comprobat. In eiusmodi enim munere in-
primis verbum dei tractandum est, atque ex isto dog-
mata fidei ac vitæ recte tradenda, explicanda, probanda,
ab aduersariis defendenda sunt, eum in finem, vt dei
gloria augeatur hominesque ad sempiternam adducan-
tur felicitatem. Id quod quemadmodum dignitatem
grauitatemque illius haud obscure ostendit; ita hæc po-
stulat, vt id diuinitus cuidam committatur, ac quando
hoc fit, munus ipsum iustum pariter ac perutile reddi-
tur. Certe, qui a deo vocatus est, is alacri ac læto ani-
mo ad quasuis officii sui partes implendas accedit: ve-
ra; non falsa spe inductus, promittit sibi prosperiorem
eorum, quæ peragenda suscipit, euentum: se seruum;
aut ministrum dei esse, iure gloriatur huicque, domino
suo

fuo, præbet se fidelem atque obedientem: quid? præfidio vocationis diuinæ munitus, se in omni periculo ac calamitate fortem ac constantem, vti decet hominem dei, esse, prodit. Attamen non immediatam; sed mediatam, vti dicitur, vocationem significari, quisque facile intelligit. Mediata est illa, quando quis ab hominibus quidem, tamquam instrumentis, vocatur; fit autem hoc non sine dei nutu ac voluntate: non sine eiusdem gubernatione, cuiusmodi vocatio quibus obtingit, isti a deo vocati recte meritoque habentur. Presbyteri Ephesini non erant vocati immediate; siue ab ipso deo; sed mediate, ab ecclesia ac per consequentiam ab hominibus; de iis tamen adfirmatur, istos *spiritum sanctum constituisse*, actor xx, 28. Posterior epistola ad Corinthios inscripta est non tantum a Paulo; sed etiam a Timotheo atque in eadem de utroque atque aliis ministris ecclesiæ hæc litteris mandata habentur: *deus nobis reconciliationis administrationem dedit: deo per nos adhortante, quæsumus pro christo, reconciliamini deo*, 2 Cor v, 18. 20. Quo et referri potest dictum Paulli: *christus partim apostolos; partim vates; partim euangelistas; partim pastores et doctores dedit*, Ephes IV, 11. vbi duo genera ministrorum sacrorum memorantur: alterum extraordinarium, idque apostolorum

25.

24.

26.

23.

21.

22.

21.

2

19.

1

17.

16.

15.

rum, prophetarum atque euangelistarum: aliud ordinarium, pastorum ac docentium. De omnibus dicit apostolus, eos datos esse a christo; non singuli tamen ab ipso; sed nonnulli ab hominibus constituti erant ac vocati, vti *pastores* ac *doctores*. Sunt, qui hos, veluti inter se diuersos, discernunt ac *pastores* ad ecclesiam; *doctores* autem ad scholas referunt; alii autem, sententiam hanc nullo idoneo niti fundamento, putant atque utrosque coniungunt, ea ratione, vt per *pastores*, quos Paulus etiam *doctores* adpellet, episcopos ac presbyteros intelligant.

Diuinitus vocatus theologus exhibet se hominem dei (v) in *munere administrando* seque deo, domino suo, addictum esse, ostendit. Probat ei fidelitatem, principem virtutem, quæ complexu suo omnia ministri ornamenta tenet, quemadmodum Paullus scribit: *in dispensatoribus requiritur, vt fidelis quis comperiatur*, I Cor. iv, 2. Id licet ad ministros ecclesiæ spectet; idem tamen a quouis publico doctore, qui aliis viam salutis monstrare debet, merito postulatur. Qua splendet iste, veluti homo dei, fidelitas in omnibus rebus peragendis coniunctam sibi habet bonam mentem. Consilia ac studia sua non ad honores; non ad alia bona fragilia ac caduca

caduca; non ad ignauum otium; sed ad solius dei gloriam: ad propriam atque aliorum salutem æternam refert. Rectam eiusmodi intentionem, quæ ex fide in christum, per caritatem efficace, manat, omnia opera nostra requirunt, vbi ista deo placere debeant. *Quodsi*, inquit christus, *fuerit oculus tuus simplex, totum corpus tuum erit lucidum. Sin fuerit oculus tuus nequam, totum corpus tuum erit tenebrosum*, Matth. VI, 22. 23. ad quæ verba explananda AVGVSTINVS* bene animaduertit: *et hunc oculum agnosce intentionem, qua facit quisque, quod facit, et per hoc disce, eum, qui non facit opera bona intentione fidei bonæ, hoc est, eius, quæ per dilectionem operatur, totum quasi corpus, quod illis, velut membris, operibus constat, tenebrosum esse, hoc est, plenum nigredine peccatorum. Idem alio loco** hoc dedit effatum: talia erunt facta tua, qualis fuerit intentio tua, cur ea facias. Fidelitatem ipsam in quauis muneris parte deo probat: mandata illius ante oculos quotidie sibi ponit atque ad exsequenda ista omnes cogitationes ac curas adhibet. Quum verbum diuinum ipsi creditum est, singulare studium ad id confert, vt summus hic veritatum cælestium thesaurus custodiatur ac*

D quam

* libr. IV. contra Iulianum cap. 3.
tom. X. oper. p. 397.

** de opere monachorum cap. XXXVI.
tom. VI. oper. p. 363.

quam ibi deus patefecit, doctrina fidei vitæque purior
 conferuetur, hocque meditando atque agendo fidem
 suam egregie commendat. CLEMENS *Alexandrinus*
 quando monstrare vult, quis sit fidelis seruus: qualem
 præbeat fidem, his vtitur verbis: * πισὸς, ὁ ἀπαραβάτως
 τηρητικὸς τῶν ἐγχειρισθέντων· ἐγχειρίζονται δὲ ἡμῖν οἱ περὶ Θεῶ
 λόγοι· καὶ οἱ Θεῶν λόγοι αἱ ἐντολαί, σὺν τῇ καταπράξει τῶν
 παραγγελμάτων· οὗτός ἐστι ὁ δῆλος ὁ πισὸς, ὁ πρὸς τὰ κρείβ
 ἐπαινόμενος, *fidelis est, qui citra transgressionem ea seruat, quæ
 sunt ei tradita. Nobis autem traduntur, quæ de deo dicuntur,
 et verba diuina, nempe mandata, cum exsequutione præcepto-
 rum. Hic est seruus fidelis, qui laudatur a domino. Pro-
 greditur theologus, homo dei, in fidei exercitio; nec
 solum rectam doctinam, quam a deo accepit, omni
 cura custodit ac pro ista sedulo vigilat; sed etiam, si
 res ita fert, arma sumit contra aduersarios ac pro veri-
 tate hocque nomine pro dei gloria atque ecclesiæ vti-
 litate propugnat, memor præcepti, a Paulo Tito
 dati, eum debere ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, contradicentes re-
 fellere, Tit. 1, 9. Reputando, traditam sibi esse prouin-
 ciam doctoris publici, in eo quoque fidelis serui partes
 implet, quum verbum diuinum hominibus eo modo,*
 quo

* *libr. 11. Stromat. p. 443. edit. FOTTEK.*

quo deus vult, adnuntiat: ex isto viam ad salutem æternam ostendit: iesum christum, princeps totius codicis sacri argumentum, tamquam sapientiam, iustitiam, sanctitatem et liberationem, proponit atque alios ad id adducit, vt acquirant sibi cognitionem seruatoris, quæ viua est ac salutaris. Id ipsum curandum est non solum a ministris ecclesiæ; sed etiam a doctoribus scholarum, præsertim academiæ. In his sane sanctioris doctrinæ capita semper ita tradenda sunt, vt ii, qui discunt, ad pœnitentiæ, fidei ac sanctimonix studia incitentur ac per cognitionem piam ad munus sacrum, rite administrandum, apti fiant. Qui putant, eruditionem; non pietatem, ad cathedram theologicam pertinere, ii profecto, se neque recte; neque pie sentire, produnt. Præter alios, rem melius diiudicat MARTINVS CHEMNITIVS, * quando scribit: *semper cogitandum est, filium dei non eam ob causam prodiisse ex arcana sede æterni patris et reuelasse doctrinam cælestem, vt seminaria spargeret dissertationum, quibus ostentandi ingenii causa luderetur; sed potius vt homines de vera dei agnitione et omnibus iis, quæ ad æternam salutem consequendam necessaria sunt, erudirentur. Ideoque præcipua cura esse debet de singulis locis, quo*

D 2

modo

* locis theologic. part. I. p. 17.

modo et qua ratione doctrina tradita accommodanda et referenda sit ad usum, in seriis exercitiis pœnitentiæ, fidei, obedientiæ et inuocationis. Ita enim mentes proficiunt simul et doctrina et pietate. Vere enim dictum est, theologiam magis consistere in adfectu; quam in cognitione.* Vt theologus, homo dei, aliorum saluti per scripturam sacram rite consulat atque vberiores fidelitatis fructus adferat, ipse monimenta diuina facit sibi familiaria: nullum diem sine eorum lectione prætermittit hancque cum meditatione ac precibus coniungit, eo consilio, vt in iis, quæ deus patefecit, quotidie proficiat ac *δυνατὸς* euadat *ἐν ταῖς γραφαῖς*, actor. xviii, 24. Labore hoc sine intermissione perfungitur, in veram adductus sententiam, *scripturam facere theologum*, ac per experientiam adprobat, quæ AVGVSTINVS** verbis his scripta reliquit: *tanta est profunditas christianarum litterarum, vt in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia vsque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere: non quod ad ea, quæ necessaria sunt saluti, tanta in*
eis

* legantur commentationes: IO. FRANCISC. BVDDEI de veritatis et pietatis nexu necessario, part. I. miscellaneor. sacror. p. 432. BERN. GVALTHER. MARPERGERI de nexu veri-

tatis cum pietate: IACOB. ELSNERI de eruditione cum pietate coniungenda, atque aliorum.

** epistola ad Volusianum, tom. II. oper. p. 305.

*eis perueniatur difficultate; sed quum quisque ibi fidem tenuerit, sine qua pie recteque non viuitur, tam multa tamque multiplicibus mysteriorum umbraculis opacata intelligenda proficientibus restant, tantaque non solum in verbis, quibus ista dicta sunt; verum etiam in rebus, quæ intelligendæ sunt, latet altitudo sapientiæ, vt annosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem scriptura quodam loco habet, quum consummauerit homo, tunc incipit. Muneri igitur suo præest vt ἀνθρώπος θεῶν, isque ἀρτιος, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηγετισμένος, quæ verba Paullus cum homine dei, postquam eius fecit mentionem, coniungit atque de isto enuntiat. Est ἀρτιος, perfectus, minister videlicet ecclesiæ ac doctor, eo modo, vt omni virtute, ad munus administrandum necessaria, sit ornatus, quali ratione vox hæc etiam a profanis scriptoribus vsurpatur. Est speciatim πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηγετισμένος, ad omne bonum opus comparatus, ad quoduis bonum opus; siue officium, quod in munere sacro: in quauis illius parte ad diuinam laudem humanamque felicitatem peragendum est ac seruandum.**

D 3

Deni-

* vid. HUGON. GROTIJ adnotation. HEMII-erklärung der briefe Paulli an den Timotheum p. 730. CHR. AVG. HEVMANNI erklärung des neuen testaments, part. IX. p. 598. IO. SALOM. SEMLERI obseruationes super II. Timotheum III. et IV. p. 85. 20m. I. p. 515. IO. LAURENT. MOS-

25.

24.

26.

23.

27.

22.

21.

20.

19.

18.

17.

16.

15.

Denique theologus est homo dei v) in *vita*, quum illam ad sanctissimi dei exemplum ac mandata componit ac probat, imaginem diuinam in eo instauratam esse. Viuit pie; non ita, vt simulet atque aliis fucum faciat: vt *sanctimoniam speciem habeat; vim autem illius abnegauerit*, 2 *Timoth. III, 5.* vt talis non sit, qualis esse videatur. A falsa eiusmodi pietate longe alienus, lucem emittit, vt homines recte facta videant, *Matth. v, 16.* lucem fidei, quæ gignit amorem erga deum atque alios, *Gal. v, 6.* amor autem virtutem: virtus bona opera, vere sic dicta, tamquam fructus fidei. Solida hæc est sanctimonia, cui theologus, homo dei, non potest non omnem operam dare. Postulat hoc status vitæ spiritualis, in quem per gratiam dei restitutus ac fide sua id consequutus fuit, vt nunc christus, sanctitas nostra, in eo viuat. Postulat idem scientia ac sapientia illius, ad quarum illam cognitio viuua atque efficax pertinet; hæc autem *plena bonorum fructuum*, *Iacob. III, 17.* dicitur; nec sine timore dei vllum locum habet, *psalm. cxi, 10.* Ac quis laudem veri doctoris tribuat sibi sine pietate, vbi cogitet, ipsam theologiam a Paulo adpellari *ἐπίγνωσις ἀληθείας τῆς κατ' ἐυσέθειαν*, *Tit. I, 1.* non eam tantum cognitionem, quæ ad pietatem, tamquam finem, spectet; sed etiam, quæ cum ipsa pietate coniuncta sit, quum illa viuua esse debeat. In munere præterea, quo theologus, homo dei, fungitur, grauior causa posita est, cur ille sanctioris vitæ maxime studiosus sit. Probe intelligit, se non

non minus vita; quam voce docere oportere, ac quia omnes naturali quasi cupiditate. trahuntur ad imitationem, magnam vim esse exemplorum hæcque doctrinæ robur ac pondus adferre. Quod si cum Paulo dicere vult: *estote imitatores mei*, cum eodem etiam vere dicere debet: *sicut ego christi*, 1 Corinth. XI, I. De Gregorio Nazianzeno RVFINVS* memoriæ prodidit, eum Constantinopoli ad aliorum emendationem ac salutem studia sua feliciter contulisse, quum *multa quidem verbis; plura tamen doceret exemplis; nec viderent, ab eo discipulis aliquid imperari, quod non prius ipse fecisset*. Episcopus Antiochenus, Alexander a THEORETO** laudatur, quod fuerit *λόγω παιδέυων καὶ βεβαιῶν τῷ βίῳ τὸν λόγον, verbis docens et vita confirmans verba*. SÖZOMENVS*** de Chrysofomo memorat, eum multos auditores ad virtutis studia impulisse atque effecisse, vt recte sentirent de capitibus religionis; his autem enarratis, subiungit: *Θείως πολιτευόμενος, τὸν ἐν τῆς οὐκείας ἀρετῆς ἐνεπίθει ζῆλον τοῖς ἀκροαταῖς, quum vitam ageret plane diuinam, ad emulationem virtutis suæ auditorum animos excitabat*. Plura alia exempla in antiquis ecclesiasticis monimentis ad imitandum proposita sunt, vna cum testimoniis,

NON

* libr. II. hist. ecclesiastic. cap. 9.
p. 249.

** libr. V. hist. ecclesiastic. cap. 35. p. 241.

*** libr. V. III. hist. eccles. cap. 2. p. 756.

non sufficere orthodoxiam ad dignitatem veri theologi tuendam; sed pietatem quoque cum ista coniungendam esse. GREGORIUS Nazianzenus* interrogat: quomodo quis vere theologus fiat? ac respondet: βλεπει θεολογος γενεσθαι ποτε και τῆς θεότητος ἄξιος; τὰς ἐντολάς Φύλασσει· διὰ τῶν προσαγματων ὄδευσον, *vis theologus aliquando fieri ac diuinitate dignus? mandata serua: per dei præcepta incede.* SOZOMENVS** idem sentit hisque profert verbis: λόγος γὰρ ὑπὸ τῶν ἔργων κοσμήμενος, πιστεως ἄξιος ἐικότως φαίνεται. ἀνευ δὲ τῶν, εἰρωνῶν καὶ τῶν ἰδίων λόγων κατήγοραν ἀποφάνει τὸν λέγοντα, καὶν σπαράξῃ διδασκων, *etenim oratio, que operibus ornatur; merito fide digna videtur; si vero operibus destituta sit, oratorem impostorem esse arguit, ac suorum ipsius dictorum reprehensorem, tamen si is in docendo magne sit diligentie, quibus dictis similia habentur apud CYPRIANVM,*** HIERONYMVM,* AMBROSIVM,** SALVIANVM*** atque alios.*

* oration. XXIX. tom. I. oper. de vita clericorum et monachorum, p. 493. tom. IV. part. 2. p. 261. 263. oper.

** libr. VIII. histor. eccles. cap. 2. edit. MARTIANAEL. p. 756.

*** epistol. LXII. p. 103. edition. tom. II. oper. edit. benedictin.


BALVZII.


* epistol. XXXIV. ad Nepotianum p. 220.



Faint, illegible text on a blank page, possibly bleed-through from the reverse side. The text is arranged in several lines and is too light to transcribe accurately.







✿) 31) ✿

s, qva tales; oriri qvaternionem terminorum, bstantia, inMinori accidens, respiciatur. Omnia nim vero cum falsitatem meae majoris nullo t, eam probaturus ex exemplo prorsus discon-); stat adhuc mea Major: Quales *ἀρνεμένους* et eos etiam *αὐτῶς* concipere debemus: Atque is finaliter abnegantes, qva tales, nulla orituraternio.

§. 31.

qvae Disputationis meae Sectioni Exegeticae doctissimis deprehendo. Cum itaque ex hacscat, ea nondum esse talia, qvae demonstrat meam, qva, satisfactionem, pro impenitentia peccatum in Sp. S. pariter impenitentiam finam habeat, etiam) pro P. in Sp. S. a Christo praerino confirmari, probaveram; etiamnum subfionstratione Exegetica Disp. Inaug. propofuionem et veritatem, evictum dedi, et vtramque nes, Exegefi meae oppositas, vindicavi.

§. 32.

unc, Academiae Cives O. O. H. mea convertitum diem, qvem annunciandum vobis officiqvem alium, Christianis maxime celebrandum, iudicio plenissimum, laetus intimo. Sanctissiad passionem, praeparaturus discipulos festum nunciat, et ex obtinenda hoc die felicitate fo- i tantopere ex abitu ipsius contristandi erant, XV, 26. XVI, 6. 7. Victor gloriosissimus cum m spem denuo excitat, et fidem Discipulorum am promissionem Patris confirmat, Act. I, 4. 5. 8.
Et

25.

24.

46.

23.

47.

22.

21.

20.

19.